DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-tertiâ Novembris M. DCC. XLI.

M. GEDEONE DE RABOURS,
Doctore Medico, Præside.

An Ptyalismus frictionibus Mercurialibus provocatus, perfectæ Luis Venereæ sanationi adversetur?

I.

SUB finem seculi decimi quinti, novus appellatione saltem, in Italiâ cœpit morbus sævire, quem Neapolitani Gallicum, Galli Neapolitanum dixêre. Insulis Antillis endemium, hincque à Christophori Columbi, post detectam Hispaniolam, militibus in Europam delatum, cum maximâ medicorum & historicorum parte, doctissimus contendit Astrucius (*a*). Adversariorum partes augent roborantque multùm argumenta Becketi (*b*), Angliæ monumenta Columbi expeditione vetustiora, diligentiùs scrutati. Hæc gonorrhœam (*c*); (*d*) carunculas urethræ, fragiformes (*e*) alias, alias verrucis similes (*f*); ulcuscula balani contumacia (*g*) seu cancros; inguinum bubones (*h*); tibiarum exostoses (*i*); ozœnam (*k*); ulcera gutturis (*l*); vocem raucam (*m*); pilorum defluvium (*n*) & casum nasi (*o*), ut cætera taceam (*p*), memorant. In iis therapeia exponitur carunculæ, cathæreticorum & candelarum cereatum usus (*q*); infectionis modus à Gilberto circa annum 1360 traditus (*r*), & nefandi hujusce morbi prophylaxis, unicâ castratione (*s*) speranda, quasi solâ Venere propagaretur. Movent quidem hæc, (Danielem le Clerc ad assensum (*t*) cogissent) movent & argumenta clarissimi Astrucii, quem magistrum glorior venerorque, ut neutrius possim sententiæ assentiri, donec novum alteruter lanci suæ pondus addiderit (*u*), vel quæ memorat Beckerus monumenta, ipsissimis liceat meis oculis inspicere & genuina probare. Cujascunque tamen fuerit Lues Venerea, benignum mortalibus numen ἀντίδοτον dedit assequi, quam medici totidem tentare modis curarunt, quot ipsam adhiberi, alterari, celarive posse crediderunt. Hinc methodorum quæ occurrunt, multiplex varietas, hinc arcanorum quæ ad sydera tolluntur mira ubertas. Primas tamen, nec immeritò tenet unguentum ὑδραργύρεον, ab Arabibus primò, postea ab aliis benè multis in Europâ medicis, 13°, 14° & 15° seculis, contra pediculos, scabiem, herpetem cæterasque cutis defœdario-

(*a*) De Morbis Vener. (*b*) Vid. dissertat. tres de antiq. Luis Vener. transact. phil. vol. 5. Henr. Jones. pag. 381. & seqq vol. 31. pag. 47 & seqq. & pag. 108. & seqq.

(*c*) Transact. phil. vol. 31. pag. 51. Arsura qualis nostra est gonnorrhea. *The same thing vve call à clap.* quam Jo. Arden incendium & excoriationem urethræ dicit, transact. phil. vol 4. Jones. pag. 383. cui injectionibus medebantur anodynis, *ibid.* pag. 384. & astringentibus transact. phil. vol. 31. pag. 57. posteriora præscribit Gaddisen Ros. Angl. arsuram verò illam eandem esse ac gonorrhœam nostram, ulterius contendit ex explicatione vocis *Brenning*, quam anno 1390. dixerunt *Apegalle*, h.: e. ulcus penis cum puris effluxu, vel ulcus manans penis, vel potiùs, affectus penis dolore & materiei purulentæ effluxu stipatus. vol. 4. pag. 384, ut ipsa vox *Apegalle* innuit.

(*d*) Transact. phil. v. 31. pag. 50. 51. (*e*) *Ibid.* (*f*) *Ibid.* (*g*) *Ibid.* (*h*) *Ibid.* pag. 52. Anglicè *Dorsers*, quos arsuræ pedisequos, vel socios dicit And. Boord Medicus, transact. phil. v. 4. pag, 385.

(*i*) Anglicè *Boonhavv.* transact. phil. v. 31. pag. 52. 53. quibus chirugi Anglici iisdem hodie Londini remediis medentur, quæ tunc temporis detecta, in iisdem casibus usurpabantur.

(*k*) (*l*) (*m*) *Ibid.* pag. 59. (*n*) *Ibid.* (*o*) *Ibid.* pag. 62.

(*p*) Quæ passim in tribus hisce dissertatiunculis legere est. vid. Astr. T. 1. cap. 7.

(*q*) *Ibid.* pag. 52. (*r*) Qui in leprosæ mulieris vaginâ latitat humor malignus, coeuntis cum ea viri urethram subit, inde per venas & arterias in universum corpus traducendus, totius machinæ corruptelam producturus. *Ibid.* pag. 58. (*s*) *Ibid.* pag. 61.

(*t*) Histoire de la Médecine *in*-4°. chez Isaac Vander Kloot en 1729. pag. 790.

(*u*) Beckeri fato functi amicus dicitur partes suscepturus.

nes adhibitum (*v*). Idem Carpenſis (*w*) & coætanei plures (*x*), cum ſolita incaſſùm remedia experti eſſent, mali ſimilitudine moti, in uſum advocare non dubitârunt. Initio puſtulis & ulceribus (*y*) admoveri, dein hæc & interſtitia oblenire, ſelectas poſtea (*z*), & tandem ſingulas gradatim partes inungere ſub't. Creſcente ſcilicet in dies experimentorum numero, inunctiones cogitatiùs adminiſtrari (*&*), Mercurii vires ſolertiùs explorari (*aa*), illius effectus accuratiùs adverti (*bb*), unguentum ſimplicius & fortius confici (*cc*), Hydrargirum interius præſcribi (*dd*), *novumque quod movet purgationis genus, pro certiſſimâ Luis Venereæ medicinâ* haberi (*ee*). Quæ ubique valuit tandiu opinio, dum illuſtriſſimi Franciſci Chicoyneau (*ff*), meritiſſimi Archiatrorum comitis, de ablegandâ ſalivatione, diſſertatio experimentis fulcita prodiret (*gg*). Tentaminibus anſam dedit tenellulorum infantum, invalidorum ſenum, epilepticorum, ſcorbuticorum, quibus interiora oris ulcerata, gingivæque erôſæ fœtebant, afflictorum ſcrophulis, febre lentâ laborantium, conſumptôrum macie, gravidarumque *Viru Venereo* inquinatorum (*hh*) tractatio, quam juxta conſuetam methodum, non niſi ſummo abortûs, ſalutis, vel vitæ periculo (*ii*), ſucceſſu autem proſperrimo, ſi Ptyaliſmus, & alia quælibet notabilis evacuatio vitarentur (*kk*), tum ab aliis peritis medicis, tum à ſe ipſo (*ll*) celebrati, ſæpiùs obſervaverat. Plures igitur ætate, ſexu, temperie, viribus, patriâ, moribus, vitæ genere, ſymptomatum numero, diuturnitate & acerbitate diſcrepantes, eo inungi modo curavit, ut nullus ſalivæ fluxus, nulla inſignis excretio proritaretur (*mm*). Res votis ſuccedit (*nn*), quod ſuaſit ratio, experien-

(*v*) Maſſa de m. g. tr. 4. c. 3. Le Clerc *ibid.* pag. 791. Aſtr. de m. v. pag. 156. & ſeqq.

(*vv*) Fallop. de m. g. c. 76. (*x*) Cataneus de m. g. c. 7. de Vigo. Collect. Luſinian L. B. pag. 453. Aſtr. *ibid.*

(*y*) Tranſact. phil. v. 31. pag. 56. Sebaſt. Aquilan. Jacob. Romet. Petr. Maynard. vid. Aſtr. v. 2. Corad. Gil. Collect. Luſin. ad calcem opuſculi.

(*z*) Internas tibiarum & brach. plant. ped. palm. vid. Windel. de Hook. cap. de unguent. & de natura argenti vivi.

(*&*) Windel de Hook. Joh. Benedict. Almenar. Bethencourt. Maſſa. Paſchalis. Theodoricus de Hery. Botal. aliique plures, quos vid. apud Doctiſſimum Aſtruc. T. 2.

(*aa*) (*bb*) Almenar. cap. 6. Collect. Luſin. Joh. Widm. Alexander Benedict. Angelus Bologn. Matthiol. Bethencourt apud Aſtruc. Fracaſtor. de ſyphillid.

(*cc*) Angel. Bologn. 1507. unguentum componebat ex larido & Mercur. Georg. Vellæ 1508. magis compoſitum. Maynardus anno 1518. ex axung. einerb. & Mercurio. Vid. Vid. anno 1550. ex adipe ſuilla, ol. amygdal. & Mercurio Petrus. Pig. 1606. ex axung. & Mercurio. Vigerius anno 1657. ol. vel unguent. nervinum addit .... in unguent. Gilini Mercurius erat $\frac{1}{15}$ totius. Joh. Widman $\frac{1}{14}$ vel $\frac{1}{20}$ Gaſpar. Torrel. $\frac{1}{9}$ Sebaſtian. Aquilan. $\frac{1}{24}$ de Hook $\frac{1}{15}$. $\frac{1}{17}$. vel $\frac{1}{8}$ Joh. Benedict. $\frac{1}{10}$. Almenar. $\frac{1}{9}$. Angel. Bolog. $\frac{1}{2}$. Vigo. $\frac{1}{16}$ Marin. Bocard. $\frac{1}{8}$. Petr. Maynard. $\frac{1}{16}$ Paſchal. $\frac{1}{8}$ Benedict. Rin. $\frac{1}{7}$ $\frac{1}{10}$ Vid. Vid. $\frac{1}{3}$ Auger. Ferrer. ad robuſtos $\frac{1}{3}$ vel $\frac{1}{4}$ ad delicatiores $\frac{1}{6}$. vel $\frac{1}{7}$. ad infantes infra $\frac{1}{8}$ Botal. $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{5}$ & ſic deinceps ut hodie apud omnes ſit $\frac{1}{3}$. vel $\frac{1}{2}$ Aſtr. v. 2. (*dd*) Vid. Aſt. L. 11. pag. 165. & ſeqq L. 5 ad annum 1537.

(*ee*) Aſtruc in præfat. poſt multos alios pag. 9. n°. 6.

(*ff*) Illi (*non Medicis Monſpeſſulanis ſine illius deſignatione*) Monſpeſſulana methodus tribuitur in epiſtolâ anonymâ Londini excusâ, anno 1738. neque ideò author dicendus vel adulator, vel in rebus medicis πάνυ ἄπειρος. Non primum, cùm dictam epiſtolam typis non deſtinaverat, & exemplaria quotquot potuit, propriis ſumptibus comparaverat, ne juris publici fieret, anonyma licet, & Anglico idiomate conata. Non 2m. collectionem enim Luſinianam, Lugduni Batavorum excuſam, anno 1728, decem jam elapſis annis totam perlegit; proindeque illum non latuit ex antiquioribus, plures de evitando Ptyaliſmo, & intercalaneis frictionibus multa ſcripſiſſe. Ideoque quamvis methodum Monſpeſſulanam illis tribuendam nullus crediderit, amico talem ſcripſit epiſtolam, undè non potuit non intelligere, ab ipſis etiam inventi remedii incunabulis, viam ad veram methodum ſterni cœpiſſe, auctam à multis, complanatam tandem, abſolutam & ad exoptatum finem perductam eſſe, ab illuſtriſſimo Archiatrorum comite. Sic enim legere eſt pag. 5. » Exindè (*à Carpi ſcilicet tempore*) *& unguentum*, *&* inunctionum » methodus varios recepêre perfectionis gradus. Huic extremas Dominus Chicoyneau manus appoſuit, & mutatâ medici intentione, curam (*Luis Venerea*) antea periculi plenam, gonorrhϾ ſanatione non minùs facilem » reddidit. Humanitas, (*quâ in ægros pollet*) medicinæ incrementum (*quod cordi ſemper habuit*) & facultatis cui » præerat cancellarius, gloria effecere, ut calcatâ majoribus ſemitâ egreſſus, novum quid tentaret, quod cum » amicis & diſcipulis citò communicavit. « Quæ ſequuntur octodecim lineæ integræ authoris mentem planam, indubiam faciunt, & ſtabilitæ receptæque hujus methodi gloriam Domino Chicoyneau, ab authore delatam probant. Vid. epiſtolam medici, medicinam peregrè facientis, ad amicum Londinenſem in quâ probatur tum exemplis tum argumentis, in Lue Venereâ, plus multò ſperandum eſſe, à curatione Monſpeſſulanâ methodo peractâ, quam ab eâ, quæ fit communi methodo ſalivationis.

(*gg*) Frictiones Mercuriales ad curandam Luem Veneream non ſunt adhibendæ in hunc finem, ut ſalivæ fluxus concitetur. Monſp. 1718.

(*hh*) Ejuſd. diſſertat. obſerv. 5, 6, 7.

(*ii kk*) Id. *ibid.* confer. Aſtr. pag. 452. & ſeqq.

(*ll*) Ducto forſan exemplo à Jacobo à Bethencourt 1527. qui morbo inveterato unctiones debiliores & tempus longius præſcribebat. Nicol. Maſſâ 1532. qui ægris debilibus admodum, prægnantibus & puerulis unctiones per intervalla miniſtrabat. Joh. Paſchali 1534. qui eadem methodo in ægris debilibus, macie conſumptis, & ſenibus utebatur. Aloyſo Loberá 1544. qui inunctiones per intervalla celebrabat, ſi ægritudo ingens fuerit. Theodorico de Hery 1552, qui in ægrotis tantum debilioribus vitandum Ptyaliſmum, & frictiones intercalares commendat. Leonard. Botal 1563 qui exemplum affert infantis, levioribus inunctionibus ſanati. Petro de Torres 1600, qui in debilibus 3a quaque die inunctiones præſcribit. Hercul. Saxon. 1597. Sebaſtian. Cortilione 1610. Neque vero abſonum eſt hoſce medicos exemplum duxiſſe ab aliis, forſan à Windelino de Hook 1502. & illius imitatoribus Johan. Benedict. & Joh. Almenate.

(*mm*) Quod proprium vid. diſſert. ſuperius laudat. obſerv. 8. 9. non Windelini de Hook, neque illius ſectato-

tia comprobat, eventus in nullo Ptyalismum casu necessarium esse ostendit (oo). Abolevit exinde invitis renitentium (pp) conatibus salivatio, ut vix duos Monspelii reperias, qui eâ methodo utantur. Obsolescit etiamnùm hodie Parisiis, neque desunt apud exteras nationes, qui eam rejiciant (qq). An iisdem cuncti rationibus adducantur, non asseram. Nos sequentes tantùm in medium afferremus. Vel in eâ sufficiens Mercurii quantitas sanguini non immiscetur, vel mixtus ubique vasorum non fertur, vel è corpore citiùs eliminatur, quàm ut singulis humorum guttulis occurrat.

rum, qui Mercurium improbant, catharrica frictionibus interponunt, nec Ptyalismum conantur evitare, nisi ut fætori oris, gingivarum, palati, faucium & linguæ inflammationi, ulceribus, vel suffocationi occurrant. vid. notam sequent. in eâdem classe numerandi sunt Anton. Mus. Brassavolus 1551. Amatus Lusitanus 1556. Guil. Rondelet. 1560. Leonard. Botal. in tractat. pauperum 1563. Julius Palmar. 1578. Joh. Rod. Amatus 1554. Luc. Ghin. 1589. Joh. Hartmannus 1611. Paulus Sorbair 1682..... Massa Ptyalismum non improbat. Joh. Paschal. protitatum non sistit, quia est naturæ operatio. Angelus Bologninus suadet movendum. item Matthiol. 1535. Theodor. de Hery necessarium quandoque judicat, catharrica frictionibus interposita damnat, non avertendam Mercurii efficaciam ab ore suadet. Leonard. Botal. friction. largas singulis diebus adhibet, donec gingivæ intumescant. Georgius Dordon. de ulcerationibus oris non est sollicitus. Ludovicus Septalius 1614 etiam in imbecillis ægrotantibus, universâ quasi carne consumptâ, frequentiores inunctiones, ad sputi apparitionem, verbo ad Ptyalismum præscribit, neque movendum secessum nisi magnâ urgente necessitate. Hyeronym. Montuus Ptyalismum prædicat 1558. Ejusdem sententiæ sunt Andreas Alcazar 1575. Pet. Paul. Pereda 1579. Capivaccius 1590. qui spem curationis nullam esse, si statim à 7a frictione non exoriatur Ptyalismus. Hercul. Saxonia 1597. Andreas Cæsalpinus 1602. Quercetanus 1603 Eustach. Rudius 1604. Epiphan. Ferdinandus 1621. Joh. Junkerus 1624. Turquetus de Mayerne 1650. Bernard. Christ. Capelle 1668. Sylv. de le Boe 1670. Sydenham. 1680. Blancard. 1684. Joh. Fred. Ortlob 1684. Calmette 1690. aliique fere omnes ejusdem, & sequent. secul. scriptores & clinici procul dubio eximii, inter quos numerandus clarissimus Adrianus Helvetius 1710. vid. T. 2. Astr. doctiss. qui instar omnium authorum esse potest.

(nn) Chicoyn. obs. 8. 9. (oo) Imo semper noxium, h. e. curationi Luis Venereæ officere, non dubitat asserere, quod non tantum proprium est, sed & majorum & æqualium praxi oppositum.

(pp) Anonymus Anglus in eâdem pag. dicit facultatem Monspeliensem, in cancellarii opinionem insurrexisse.

(qq) Willoughby, Douglass, aliique, quos ipse novi, non infimæ notæ practici.

II.

LUES *Venerea* morbus contagiosus, quo propagatur miasma corpori intromissum, humoribus & sanguini labem infert. Ubi subit vel vaporis specie, adhærescit, nidulatur, penetrat, circumlambentum fluidorum indolem immutat, suam impertit noxiam, virulentam. Hinc multiplicata, aliis connubio guttulis jungitur, aliis associatur, alias generat sui similes. Gliscit tacitè venenum, & pedetentim serpens, in sanguinem delatum, singula gradatim vasa pervadit, singulas vasorum ambages lustrat, novas ubique formas inducit, novas ubique tragœdias peragit. Sic invalescit morbus in dies, imas carpit medullas, totamque contaminat machinam, inficit, perfundat. Quo stadio, ne vel ultimam globulorum seriem, omnis contagii immunem asserere, ratio non dissuadet. Hoc si undique subducas, vel in vasis destruas, morbum tollis; unica superstes particula renovabit, intendet. Alterantia hinc, inde evacuantia percipis indicari. Utraque sed incassùm in usum vocabant antiquiores medici (a), quibus ignoto, vel damnato Mercurio, curatio methodica pro omni præsidio erat. Soli insistendum evacuationi, quæ argenti vivi usu obtineatur, primus omnium, ni fallor, præcepit Angelus Bologninus (b), nec alium in finem à quovis ante annum 1718m, adhibita reperies vel Mercurium vel Guayacum, nisi forte Petrum Maynardùm (c), Petrum Bayrum (d) vel horum superiores (e), qui doloribus leniendis, pustulisve aut ulceribus sanandis, præmissâ semper therapeiâ methodicâ, inunctiones aptas æstimabant, volueris excipere. Variis tamen variis modis, educendam materiem morbificam censebant. Ptyalismo ferè omnes (f), catharsi plures (g) utroque pauci (h). Hi sudores (i), illi perspirationem insensibilem (k), alii diuresim (l) cienda hortabantur. Neque

(a) Nicol. Laonicen. 1497. Natal. Montesaurus 1498. Bartholomæus Montagnana 1499. Vochs. 1507. Hutten. 1519. Laurent. Frisius. 1532. Leonart. Fuschius. 1542. Langius. 1544. Fernel. 1556 Domin. Leo 1562. Bernardus Tomiranus 1563. Anton. Francancinus. 1564. Aurelius Minadous. 1596. Horatius Guarguanius. 1612. vid. Astr. T. 2. pag. 529.

(b) 1507. (c) 1518. (d) 1557. (e) Jac. Romers. 1498. Sebastian. Aquilan. 1498. Gaspar. Torrell. 1497. Coradin. Gelin. 1497. (f) Vid. not. m. & leg. Tom. 2 Astr.

(g) *Ibid* Georg Dordon. 1568. quicunque frictionibus catharrica interponebant, ut vitarent Ptyalismum, vel præparata mercurialia catharrica proponunt. Plures Jo. Diagryd. Jallap. Colochynth. sine Mercurio commendant. vid. Jacob. Cooke Medicum Anglum in *Mellificio Chirurgiæ* Londini typis mandato 1693. pag. 229. & seqq.

(h) Overchamp catharrica Mercurio jungit. Turquetus de Mayerne 1650. Paulus de Sorbait 1680. Palmarius 1578. Pitcairn. 1714. Nicol. Mass. *non omnes materias per os currère....* præscribit.

(i) (k) (l) Præter methodos movendi sudores vel diaphoresim ope Guaiaci, Salsap. Chin. Sassaf. ab authoribus præscriptas, quorum ingens numerus apud Astr. reperiundus, à primis secul. 16 ad nostra usque tempora, alias 6 methodos egere est apud Cooke de Lue Venerea in *Mellificio Chirurgiæ.* Saporta sudorem movet linimentis 1570 & qui Ptyalismum improbant ferè cuncti, nec tamen frictionibus catharrica interponunt, perspiratione insensibili vel diuresi credunt materiem morbificam expurgari.

(m) Præcipitat rub. post Vigonem multi usi sunt vid. Ast. T. 2. passim. vid. Zacut. Lusitan. Prax. histor. l. 8. cap. 1. pag 31. & seqq. Turper. mineral. in usu familiari apud Anglos. Cooke ibid. Stibium præscribunt alii. Zacut. *ibid.* (n) Antonius Bologninus.

defuêre qui vomitu (*m*) Mercurialibus excitato, Luem Veneream curari aſſererent. Verùm quamvis ſingulis hiſce modis reſtitutos ſanitati nón paucos conceſſerim, non ideò ſanatos crediderim, quòd *ſeminium morbi, materiem antecedentem excerni Mercurius effecerit, corpuſque à ſuperfluitatibus mundaverit* (*n*), ſed quod vitium humorum correxerit, pravam diſpoſitionem alteraverit, venenum extinxerit, vel ut Trincavellii verbis utar, quòd *malignam hanc Luem deleverit, & mutaverit illam intemperaturam, quæ fomes eſt & fundamentum iſtius mali affectûs.* Etenim 1°. Evacuantia quævis abſque Mercurio, Cathartica, Emetica, Sudorifica, Diaphoretica, Diuretica, Apophlegmatizantia parum efficacia eſſe, hodie apud omnes in confeſſo eſt. 2°. *Non rarò accidit* morbum ſolvi *virtute exſiccativâ linimenti .... abſque ullo ſigno ſenſibili evacuationis* (*o*) quin *ullus appareat fluxus materiei ab ore, ullus fluxus ventris, aut aliquod ſignum evacuationis manifeſtæ* (*p*). 3°. *Ubi ægritudo ingens eſt* (*q*), vel inungendi debiliores, illitiones ita miniſtrat ſanior Medicorum pars, *ut & Ptyaliſmus & omnis excretio ſenſibilis vitentur* (*r*). 4°. Eandem feliciter methodum, in robuſtioribus expertus eſt illuſtriſſimus Archiatrorum comes. 5°. *Salivationem .... ad exterminandam Luem Veneream abſolutè neceſſariam non eſſe*, ipſe doctiſſimus fatetur Aſtrucius (*ſ*), *& experientiam omni ratione majorem, medicos jam pridem docuiſſe, Mercurium etiam dum nullam ſalivationem ciet, cæteroqui tamen eoſdem effectus in ſanguine præſtare, ac ſi ſalivatio legitima motu foret, modo debitâ copiâ ad ſanguinem penetraverit, & proinde attenuatis liquidis, reſeratis vaſis, reſtituto oſcillatorio partium motu, diſgregatis obicibus, profligato ſeminio morboſo, Luem Veneream radicitùs perindè extirpare* (*t*). 6°. Cùm nullum morbo jam confirmato corporis punctum, nullusve humorum globulus, virûs immunia dici valeant, evacuatione morbum penitùs tollere, eſt morbi ſeminium ſingulis inhærens punctis elicere, eſt ſingulos humorum globulos, quâ datâ portâ, expurgare, novoſque illibatos contaminatis ſubſtituere (*u*), ſinguli quippe globuli ſeminium morboſum aut conſtituunt aut continent. Simultaneam humorum expurgationem repugnare, nemo non videt. Succeſſiva ſingulis veneni partibus educendis impar eſt. Etenim quæ primæ evacuationi ſupereſſent fluida, eandem quâ peccant labem advenientibus inurerent, circulatione extenderent, calore foverent, multiplicarent, alerent. Quænam verò præciſè ſanguini mutatio, vel quo præciſè modo hæc à Mercurio inducatur, quamvis abſcondita ſpecialis veneni natura determinare vetet, iterato antidoti in venenum impetu opus eſſe, Phyſica docet & Praxis medica confirmat. Omnis enim actio corporis motus eſt, & eo medici conſilio Mercuriali utuntur linimento, ut Hydrargiri particulæ canales ſubeant, & quaquaverſam raptæ, in Luem fluidis hoſpitantem incurrant. Hinc 1°. Frictiones ſibi ſuccedunt à pedibus ad ſuperiora aſcendendo. Sic enim fluido primùm venoſo, dein arterioſo repetitis vicibus optime miſcetur. 2°. Si caput dolor vel gravitas occupet, faciem puſtulæ, ſcabies, herpes, ulcera, exoſtoſis, aliudve ſymptoma venereum dehoneſtet, axillas bubo repleat, pectori abdominive vel minima morbi nota inſideat, frictionibus perindè (*v*) ac reliquæ partes ſubjiciuntur, ut morbi cauſa potentiùs infirmetur. 3°. Eò pars quælibet affecta ſæpius inungitur, quò ſymptoma quo laborat contumaciùs, & remedio magis reſiſtit. Sic exoſtoſim tibiæ inſignem diebus à frictione liberis, quindecies illinire contigit. Sic alteram, quæ frictionibus ritè celebratis nullatenùs ceſſerat, frictione decies repetita oppugnare, neceſſe habui. Poſt quartam frictionem, trifariàm partita, ſenſim decrevit indies, tandemque poſt decimam omninò evanuit. 4°. Si pars affecta, fauces vel interiora oris ulcerata, propter ſitum, humiditatem, aliamve quamvis rationem, illitioni minùs apta ſit, ſoluto frequenter madefieri Hydrargiro aſſolet, quo latens contagium citiùs & expeditiùs debelletur. 5°. In affectionibus quibuſdam localibus (*vv*), tumoribus, exoſtoſibus, herpete, præter unguenta utimur nonnunquam emplaſtro Vigonis, aliquando & ſuffitu (*x*), ut morbi vires citiùs frangantur. Cura igitur morbi poſtulat, ut remedium ſingulos corporis ductus percurrat, ſingula corporis puncta attingat, ſingulis humorum globulis occurrat, ſingulas virûs particulas ſæpiùs impetat. Ergò 1°. ſi vel minimam corporis partem relinquit inſalutatam, cura imperfecta futura eſt. 2°. Si vel unicum in ductu quovis globulum, præſertim inquinatum non attingat, cura imperfecta futura eſt. 3°. Si vel unicæ virûs particulæ non occurrat ſæpiùs, cura imperfecta futura eſt. 4°. Si minor Hydrargiri quantitas ſanguinem penetret, vel quæ penetrat, minùs diu ſanguini mixta maneat, quam ut dictis conditionibus ſatisfaciat, cura imperfecta futura eſt.

(*o*) Id. (*p*) Nicol. Maſſ. l. 4. c. 2. (*q*) Geor. Dord.

(*r*) Chicoyneau differt. laudatâ. vid. not. mm. poſitionis primæ. (*ſ*) Pag. 235. (*t*) pag. 216. hinc ſequentia deduco. 1°. Evacuatio ut evacuatio curando huic affectui non ſufficit. 2°. Solvitur Lues Venerea quin ulla excitetur evacuatio. 3°. Singularis illa ſpecifici operatio, quâ morbus iſte curatur, non eſt evacuatio. 4°. Singularis illa ſpecifici operatio eſt alteratio. 5°. Hydrargirum ſanat Luem Veneream, alterationem humoribus aliquam & partibus firmis inducendo, attenuando, aperiendo, ſtimulando, diluendo, miſcendo, diſſolvendo.

(*u*) Novi Medicum qui curam Luis Venereæ ſic aggreſſus eſt. In initio ſanguinem mittebat bis quâlibet ſeptimana, dein ter, hinc ſexies, poſtea quolibet die, tandem bis ſingulis diebus, donec veterem, aiebat, maſſam totam extraxiſſet, novam ſubſtituiſſet.

(*v*) Leonard. Botal. Coll. Luſian. Lugd. Batav. pag. 885. Braſſavol. *ibid.* pag. 691.

(*vv*) *Id. ibid.* (*x*) Rondelet, *ibid* pag. 951. Nicol. Michell. *ibid.* 754. 7, 5.

III.

PTYALISMUM tertiæ, ut plurimùm inunctioni supervenire norunt Chirurgi; deficere tamen aliquando post decimam, plures testantur. *Ultra septem vices inquit* Capivaccius non illinendus *æger*, *quia si non exspuit in septem vicibus*, *nulla spes*, quatuor decies sine periculo posse adhiberi inunctiones, asserit Valisnerius. 1693. Ubi primùm *dentes dolere incipiunt*, *vel phlegmata per gingivas notabiliter dissolvi*, *vel superfluitates peccantes aliâ regione evacuari* .... *tunc ab illitione desistendum* (a), quod 3ª, 5ª, 6ª, 9ª vel 10ª die plerumque accidit. Ludovicus Septalius *post sputi apparitionem*, iterandam semel aut bis inunctionem monet (b), alii præparata jubent mercurialia interiùs sumantur (c), ut motum lentè sputum excitetur (d), & producatur salivatio. Adeoque quæ in hac methodo impenditur Mercurii quantitas, sæpe tres, aliquando sex vel octo, ad summum duodecim drachmas non excedit. Quamvis autem Mercurius in minutissimas guttulas divisibilis sit; fidem tamen omnem superare videtur, numerum particularum in quas vi vitæ quantitas illa Mercurii dividitur, adæquare numerum canalium, quibus corpus humanum coalescit, in innumeras decrescentium series ubique abeuntium, in innumeros ubique orbes, vel innumeras ubique plicas convolutorum. Canalium numero adde numerum guttularum indefinitè parvarum fluidi, quæ in singulis volvuntur. Numero guttularum Mercurii detrahe 1°. numerum particularum, quæ manus vel chirothecas illinentis servi penetrant, aut ipsis adhærent. 2°. Numerum guttularum quæ linteaminibus ægri absorbentur. 3°. Numerum guttularum quæ cuti vel pilorum bulbis hærent infixæ, aut inde repelluntur. 4°. Numerum particularum, quæ inter inungendum quocunque alio modo amittuntur. Paucissimos sanguinem penetrare fateberis, neque singulis humorum globulis occursuras, facilis credes. Sed ut rem paulò altiùs scrutemur. Supponamus 1°. duodecim drachmas Hydrargiri, partitis duodecim vicibus, intra duodecim dies, fricatione ad siccitatem productâ cuti inunctas. 2°. Detractiones jam memoratas duarum solummodò drachmarum esse. Demus 3°. reliquas decem drachmas vasis admissas. Ast ne vel harum quinque, humoribus diu satis immixtæ, circulationis legibus obsequuntur, vel juxta capacitates vasorum distribuuntur. 1°. Scilicet, cum excretorii ductus, arteriarum sint ubique propagines, qui in aortam quâlibet cordis systole impellitur, Mercurium excernendis confusum indesinenter educi, & quantitate imminui sequitur, eoque majorem jacturam esse, quo circuitu humorum, repetitis illitionibus adaucto, sanguis ad organa secretoria velociùs appellit. 2°. Ubi oris ægritudo invalescit, gingivæ mollescunt, & salivales glandulæ tumescere incipiunt, (quod 5ª, 6ª, vel 8ª die supponamus evenire) Mercurii huc suâpte quasi naturâ affluentis (e) copia augetur, in reliquo corpore minuenda. Sputatione dein allicitur (f); dilatatis glandularum vasis admittitur; apertis, laceratis excretoriis elabitur & profluit salivæ commixtus, eò uberiùs quo Ptyalismus largior est, & oris ulcera plura sunt atque majora. Nonne timendum ne totus quantus est effugiat, antequam virus ubique latens destruatur, nonne timendum ne partes aliquæ illius præsidio omninò destituantur? Suum pariter obstaculum afferunt diarrhæa, sudores profusi, urinæ profluvium, hæmorrhagiæ inunctionibus inducta. Horum ultimum cæteris minùs frequens, morbo parum debellato, videre aliquoties contigit ab ore, naribus, pudendis, hæmorrhoidibus (g).

(a) Angelus Bolognimus. Jacob Cataneus. Joh. de Vigo. Matth. Botall. Dodon. &c.
(b) Caution. medic. de morbo Gallico. (c) communis chirurg. Anglorum praxis. (d) Vid. Septal. *ibid.*
(e) Quod illius mobilitati & partium figuræ, structuræ mechanicæ Aortæ & Carotidum ortui, tribuendum puto.
(f) Argentum vivum in defunctorum capitibus in sepulchris repertum, memorat. Brassavol. de curâ M G. Coll. Lusinian. pag 692. defuncti salivationis tempore caput, examini anatomico subjectum, Hydrargirum copiosum dedit, quo repleta quasi videbantur diploe, ossa sphœnoides, ethmoides, vomer, nasi, & palati, & sinus omnes. Imo exteriori cranio accretum quasi ubique hærebat: observarunt plures inter quos numerandus Præses illustrissimus. Alexand. Traj. Petron. Mercurium in capitibus inunctorum reperiri, cum sudore exire, urinis supernatare, in matulis colligi asserit, & ab eo aurum dealbari. Ipse magnam Mercurii quantitatem in matulis sæpius inveni.
(g) Idem intelligendum velim de purgatione frictionibus interpositâ.

IV.

ÆGRUM lue Venerea affectum, inungendum ita curavi, ut singulis diebus, linimenti ex axungiæ & Mercurii *ana:ıcis* partibus compositi, duæ drachmæ adhiberentur. Moto post sextam frictionem Ptyalismo, qui ad trigesimam sextam diem productus est, ab inunctionibus cessatum, & servatis anno integro, quæ primis quatuor salivationis diebus fluxerant, sexdecim salivæ libris, septuaginta duo Hydrargiri grana, in fundo vasis reperta sunt. Si elabentis ore Mercurii quantitas, eadem quâlibet die supponatur, ne vel unicum vigesimâ die granum, corpori reliquum inerat. Si deperditionem positione superiori expositam (a), drachmæ æqualem dederis, horâ decimâ-septimâ post sexdecim dies, nulla supererat Mercurii guttula. Si amissam reliquis secretionibus quantitatem, quantitatis ore effusæ, unam tertiam judicaveris, ultrà dies duodecim, cum quinque horis & vinginti minutis, nil Mercurii superfuit. Si tan-

(a) n°. 1. 2. 3. 4.

dem à prima inunctione ad motam salivationem, omnibus secretionibus drachmam semissem concesseris, horâ post septimam diem duodecimâ, Mercurio planè expurgatum erat corpus. Quod temporis spatium brevius existimaverim, quàm ut in eo, dicta Hydrargiri quantitas, quæ singulis instantibus minuebatur, conditionibus supra stabilitis posset satisfacere. Si diutiùs humoribus mixtum inhæsisse Mercurium dixeris, ast ita inæqualiter distributum non negabis, ut partes quasdam nunquam attigerit. Dato, post septem dies cum medio, Mercurium totum eliminatum esse, concedendum pariter erit, plus Mercurii quâlibet cordis systole, admissum esse ab aorta ascendente, quàm à descendente; imò maximam hujusce portionis (aortam ascendentem ingressæ) partem, per carotides externas provolutam, quin minores forsan quasdam, ejusdem trunci soboles, ulla subierit molecula. Si penultimam admiseris suppositionem, minorem adhucdum Mercurii quantitatem, aortæ descendenti concedes. Si antepenultimam, ne vel guttulam dabis. Si Mercurii unà cum salivâ profluentis jacturam, gradatim à quartâ salivationis die minutam supposueris, adeoque nec tam citò corpore exclusum, nec adeo paucum aortam descendentem ingressum, ac allatæ suppositiones intelligendum præbent, nonne saltem totum opinione citiùs effluxisse fateberis? nonne suspicaberis partes aliquas ab illo intactas fuisse? auctâ unâ secretione, cæteræ omnes imminuuntur, & dum uberiori saliva fluxu, in os undique confluit, seroso latice partes reliquæ depauperantur. Quidni & particularum Mercurii ptyalismum producentis, os & fauces exulcerantis, ratio alibi decresceret? Non aliam posse reddi rationem recidivæ putaverim, ubi cura, per decem à tractatione jam expositâ menses, radicalis visa est.

Cùm dubius adhucdum de Ptyalismi commodis & incommodis hærerem, sequentia subit experimenta instituere. Sanum hominem drachmis sex unguenti, ex una Mercurii & duabus axungiæ partibus compositi, eo inunxi animo, ut salivationem cierem. Sputatione tertiâ die exortâ, secundam illitionem eâdem unguenti quantitate, non ante diem quintam celebravi. Ecce protinùs invalescens salivæ fluxus, copiosus admodum factus est die septimâ. Vesperi nummum aureum per quindecim minuta ore retinendum curavi. Nitor parùm offuscatus, & inustæ alteri lateri notæ quatuor albicantes, Mercurii in os appulsum denotârunt. Excitato die nonâ sudore largo, baccillum capitulo ornatum aureo, manu comprehenderet jussi. Post semi horam, aurum conspurcatum, Hydrargiro maculatum est. Misso die decimâ sanguine, & subductâ postridie alvo, die decimâ-sextâ, subsistente Ptyalismo notabili, qui ad vigesimam-quintam inclusivè diem productus est, nummus aureus vasi, in quod illitus expuebat, immissus, per Ἡμερονύκτιον salivâ coopertus permansit, quin tamen ullam coloris mutationem passus sit, ullamve Mercurii notam contraxerit. Die decimâ-octavâ abstersis unguenti reliquiis, lotisque probè partibus inunctis, eundem nummum aureum uni applicui, & fasciâ ligavi, ut immotus loco per noctem detineretur. Nulla Mercurii vestigia mane observata sunt.

Ptyalismo febris ut plurimum jungitur, motus humorum valde turbatur, sanguis rarescit, lymphatica quædam premit, humoris contenti cursum sistit. Mirumne hac turbâ Mercurium inæqualiter distribui, alia multum, alia paucum, alia nullum vascula ingredi?. Si lymphaticum compressum à sanguifero oriatur, quod Mercurius non subierat, tota fluidi ab arteriâ sanguiferâ, ad partem obstructam columna, viru infecta permanet, Et, si eatenùs secretio quævis augeatur, ut Mercurius è corpore totus, vel plurimus amandetur, antequam tollatur obstructio, reliquam citò massam vitiabit. Vas compressum gratis supponi respondebis. Esto, humorum nonnulli plures iusumunt dies, ut ad cor revehantur. Si horum secretoria à sanguiferis sobolescant, quæ Mercurius non salutaverat, curam imperfectam, mancam, recidivam certò futuram non inficiaberis.

Denique si recidivam ideò futuram prævideas, quod Mercurius vasa, ductus, glandulas cuncta non pervadat; quid sperandum arbitraturus es, cùm virus Venereum hic, illic, ubique humoribus altè infixum, non nisi repetiris globulorum Mercurii percussionibus delendum, in mentem revocaveris?

V.

NE nudo rationum & quorundam exprimentorum apparatu, quam sumus illaturi conclusio inniti videatur, consentientem juvat ipsam praxim medicam, ipsam experientiam in partes trahere, & mancarum post longæ salivationis tædia, molestias, incommoda, pericula, curarum, quæ occurrerunt, nonnullas subjicere, quibus dicta muniantur, roborentur, confirmentur.

1°. (a) Quem primum suscepi Parisiis curandum, nobilis juvenis, viginti quinque circiter annos natus, vegeto robustoque corporis habitu præditus, gonorhϾâ à terdecim jam mensibus divexabatur. Huic supervenêre ulcera balani majuscula, porri, verrucæ, lumbago, dolor capitis assiduus, corona Veneris, & ulcera duo in faucibus conspicua. Quamvis methodum Monspessulanam felici sæpius eventu Monspelii expertus fuissem, ægrum Ptyalismi methodo trac-

(a) Anno 1733.

tandum judicavi, tum quòd alteram Parisiis usu nondùm receptam, à medicis damnatam, & ab ipsis Monspeliensibus in hac urbe non usitatam acceperim; tum quòd aerem hic humidiorem frigidioremque illi methodo officere ipse crediderim. Æger sexies inunctus, omni ægritudine curatus, post decem menses relapsus est. Tentatâ dein curatione methodo Monspelliulanâ, duodecim adhibui drachmas Mercurii Sed vanâ proh dolor spe! novam post sex menses percepi recidivam. Æger tamen tertio tentamine, sanitati restitutus est methodo Monspessulanâ, adhibitis, quinquaginta dierum intervallo, unciis duabus cum semisse Mercurii, sine ullo sputationis vel alterius adauctæ evacuationis indicio.

(*b*) 2°. Nobilis fœmina quadraginta quinque annos nata, ulcere pudendi lato profundoque, cum fissura linguæ ulcerosâ laborabat. Hæc (fluoris albi soboles *aiebat* ægra) ita augebantur in dies, ut unanimi medicorum & chirurgorum consilio, Mercuriali unguento, juxta consuetum patriæ ritum, sinè morâ uncta est. Post Ptyalismum diuturnum, gravissimum, uberrimum, integram visa est sanitatem recuperâsse. Ecce tamen tertio à curatione mense, recrudescens pudendi ulcus, Luem penitùs exterminatam non esse ostendit. Non multò post recruduit & ulcus linguæ. Convocatis de novo medicis chirurgisque, statutum est ut novum subiret inunctionum Mercurialium tentamen. Quod dictum factum. Inuncta est, sputo maduit sordente, convaluit, recidit. Nec felicior tertio tentamini eventus. Invalescere dein morbus cœpit, squallere corpus ulceribus, doloribus artuum, noctu præsertim sævientibus ægra cruciari. Hinc relictis patriis laribus, in Galliam confugit, quasi Lues omnibus medicorum & chirurgorum patriæ conatibus major esset. Celebratæ Parisiis frictiones Mercuriales, motus Ptyalismus, & in septuagesimam octavam vel nonam diem productus, detersa, consolidata ulcera, sedati dolores, cunctaque in vado esse visa sunt. Ægra rus abiit convalitura. Lactis ac diætæ usu per sex menses integros se se optimè habuit. Exinde vero dolores reviviscere, ulcera aperiri, grandescere, cavari, & in ambitu nigrescere, partes vicinas inflammari, omnia verbo in pejus ruere. Nostram ægra opem petiit, & octoginta dierum spatio prorsùs sanata est, nullâ per totum tractationis decursum adauctâ, quod sciam, secretione.

3°. (*c*) Circa idem tempus nostræ commissus est curæ nobilis alter, symptomatis haudquaquam æquivocis morbi venerei affectus. Hic sumptis absque emolumento centum *Misobanki*, (*d*) pilulis, inunctiones, qua potuit fieri arte, juxta consuetam Ptyalismi methodum passus, optimâ per duos menses valetudine usus est. Recrudescente morbo, Lutetiam se contulit, & quadraginta dierum intervallò, quin ulla intenderetur secretio, convaluit.

4°. (*e*) Anno 1735 ægrum invisi ulcere, musculis pone velum palatinum positis afflictum, unde pus dimanans velum perforaverat. Huic natales dedit gonorrhœa Lugduni Batavorum aliquot ante annos contracta. Inunctus primâ vice Londini, curante Medico celebri, æger longæ salvationis tædia patienter tulit, & debellato quasi morbo, convalescere visus est. Apparente post sex septimanas ulcere, plurima in usum vocata sunt remedia, quibus incassùm æger per anni curriculum usus est. Lutetiam venit, inunctus septuaginta quinque libras salivæ excrevit, & emaciatus omni symptomate venereo liberatus per tres septimanas creditus est. Apertum denuò ulcus, decocto Sudorifico, pilulis, soluto spiritu nitri Mercurio, aliisque remediis mundatum, exsiccatum est. Recruduit tamen post mensem. Sed epotis bimestri spatio, aquis mineralibus, *de Passy*, eatenùs evanuit, ut æger in patriam remigrare non dubitaverit. Navi se crediturus, de ulcere iterum aperto certior factus est. Lutetiam repetiit, & nostræ commissus curæ, intra dies quinquaginta duos, integræ sanitati restitutus est. A decimâ ad decimam-septimam die, levis mota sputatio, exinde vero nullum observatum evacuationis adauctæ signum, quamvis illitiones ad quadragesimam usque nonam diem, aliquando singulis, aliquando alternis, nonnunquam quidem tertio vel quarto quoque die administrarentur.

5°. (*f*) Pleuriticus sanatus de superstitibus Luis Venereæ symptomatibus conquerebatur, dolore lateris punctorio, & Rheumate interdum recurrentibus, ipsâ quam curaveram, pleuritide, sed imprimis pruritu periodico calcis alterius, sub noctem semper sæviente. His scilicet sæpius à quatuor annis laboraverat, à Ptyalismo nempe, quem, Lue Venerea inquinatus diuturno, passus est. Inunctiones Mercuriales enixiùs efflagitantem irrisi, iterum tandem inungendum curavi, à dictis symptomatis, quæ Lui Venereæ tribuenda non credideram, liberavi. Pruritus quidem citò recidivus, convalescentem per mensem vexabat, exinde verò cum cæteris symptomatis omninò evanuit. Excretiones omnes consuetam naturæ legem sequi visæ sunt.

6°. (*g*) Sub finem ejusdem anni centurio nocturnis artuum doloribus, balani ulcusculis, & frequenti vertigine loborans, curandum se se nobis tradidit. Symptomata hæc recidiva affirmavit, neque ullum se cum fæmina quavis, à duobus annis commercium habuisse; quo præcisè tempore inuctionibus Mercurialibus submissus, salivationem ad quadragesimum quartum diem productam passus est. Absoluta diebus triginta tribus curatio, quin ulla excretio manifesta ad diem usque vigesimum quintum moveretur. Tunc enim evanescente, qui tempori sinistro insi-

(*b*) Anno 1734. (*c*) Anno 1734. (*d*) Agyrtæ Londini celebris. (*e*) 1735. (*f*) 1735. (*g*) 1735.

debat tumore, ulcus in interiori ejusdem lateris genâ enatum, humore putulento ad integram tumoris subsidentiam madere non cessavit.

7°. (b) Mercator nostræ traditus curæ sequentibus affligebatur malis. 1°. Asper admodum, spissus, fœtidusque herpes capitis partem capillatam occupabat, unde stillans humor acerrimus tempora, aures, frontem excedebat. 2°. Maxillæ inferiori dextræ, exostosis adnata notabilis prominebat. 3°. Glans penis dextrâ parte schirrosa quasi, corpus cavernosum ejusdem lateris induratum erat. 4°. inguinum & axillarum glandulæ tumefactæ bubones æmulabantur. 5°. præputium inter & glandem, duæ numerabantur verrucæ insignes. 6°. frequentes per habitum corporis observabantur furunculi. 7°. quatuor faucibus ulcera insidebant. 8°. dolores artuum nocturni ægrum molestabant. 9°. ipse macie propemodùm consumptus, colicâ statim à præparantibus bis laboravit, cui anodyna & frictiones duæ mederi visa sunt. Morbus hic gonorrhϾ diligenter tractatæ progenies. Æger illitionibus haud morâ submissus, largo salivæ profluvio curatus videbatur. Quartâ post Ptyalismum die, recidivæ penis indurationi, cancer adjunctus est, & faucium ulcera recruduêre. Mercuriali unguento more patrio iterum inunctus, salivatione bimestri emaciatus, non sanatus est.

Quatuor cum semisse uncias Mercurii huic ægro administravi, morbumque ante finitos sex menses radicitùs extirpavi, minimo incommodo, nullâ secretione adauctâ, nulla somni vel tranquillitatis jacturâ. Ex dictis sequitur.

(b) 1736.

1°. *Perseverare sæpiùs Ptyalismum, Mercurio penitùs expurgato.*
2°. *Ptyalismum non esse necessarium ad curandam Luem Veneream.*
3°. *Esse omninò inutilem.*
4°. *Esse in causâ, cur Mercurius minùs benè distribuatur etiam in ore & faucibus.*
5°. *Esse in causâ cur Mercurius citiùs è corpore amandetur & effluat, quàm par est.*
6°. *Esse in causâ, cur minor Mercurii quantitas quàm par est, in sanguinem transfundatur.*
7°. *Esse in causâ cur partes aliquæ remedii præsidio priventur.*
8°. *Hinc esse impedimento sanationi.*
9°. *Cathartica frictionibus non esse interponenda, propter easdem rationes.*
10°. *Omnem evacuationem nimiam, vel frequentiorem sanationi Luis Venereæ adversari.*
11°. *Ergo Ptyalismus frictionibus Mercurialibus provocatus, perfectæ Luis Venereæ sanationi adversatur.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista-Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius.
M. Antonius Casamajor.
M. Joannes-Franciscus Cauthier.
M. Hyacinthus - Theodorus Baron.
M. Raymundus de la Riviere.
M. Joannes Baptista Mongin, Medicus Regis ordinarius.
M. Ludovicus - Maria Pousse.
M. Franciscus - Josephus Hunauld, Regiæ Scientiarum Academiæ & Regiæ Societatis Londinensis Socius, in horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Professor ac demonstrator.
M. Michaël Procope Couteaux, Scholarum Professor.

Proponebat Parisiis ANDRÆAS CANTWEL, Hybernus, Doctor Medicus Monspeliensis, Societatis Regiæ Londinensis Socius, legationis Anglicanæ Medicus ordinarius, Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1741. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.